



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 104. Decretum Eugenii Papæ de Armenorum unione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

§. CIV.

A. C. 1439.

Decretum Eugenii Papæ de Armeniarum unione.Labbe Conc.  
t. 13. p. 559.

Primo igitur Pontifex Armenis præcepit, quod Symbolum Concilii Constantinopolitani cum additione Filioque in Ecclesiis suis, Dominicis ac festivis diebus decantent. II. Præcepit, ut teneant definitionem quarti Concilii Oecumenici Chalcedonensis de duabus naturis in una Christi Persona, quæ doctrina in V. & VII. Synodo innovata ac confirmata est. In eodem loco divinitatem Spiritus sancti, auctoritatem Epistolarum Synodaliū S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium & Orientales, necnon Epistolæ S. Leonis Papæ ad Flavianum contra Eutychetis hæresin, & veritatem Incarnati Verbi divini corroborat. III. Monet illos, ut observent definitionem de duabus Voluntatibus, duabusque Christi operationibus juxta sextam Oecumenicam Synodum. IV. Ostendit Papa, etiam Chalcedonensem Synodum auctoritate Sancti Leonis congregatam, in qua præfatus Sanctus Pontifex duas Christi Domini naturas in unitate Personæ unitate adversus nefaria Nestorii, & Eutychetis dogmata sancte & rite definivit, ab eis esse acceptandam, hucusque enim Armeni præter primætria Generalia Concilia, Nicænum, Constanti-

stantinopolitanum, & Ephesinum nullum Sæcul. XV.  
 aliud posterius receperant. Præterea eis A. C. 1439.  
 injungebat, ut ipsum Papam Leonem tan-  
 quam sanctum & in Catalogo Sanctorum me-  
 rito descriptum; de cetero reputent & vene-  
 rentur, atque omnes alias universales Syno-  
 dos auctoritate Romani Pontificis legitime  
 celebratas, sicut & ceteri fideles, reverenter  
 suscipiant.

Demum materiam de sacramentis Ec-  
 clesiæ in suo decreto exponit, illorumque  
 septenarium numerum definit, discrimen  
 horum a sacramentis antiquæ legis, nec-  
 non diversitatem effectuum, quos in ani-  
 ma producant, explicat, subjungens, hæc  
 omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videli-  
 cet materia, forma & persona Ministri con-  
 ferentis Sacramentum cum intentione facien-  
 di, quod facit Ecclesia. Inter hæc sacramenta  
 tria sunt, Baptismus, confirmatio, & Ordo,  
 quæ characterem imprimunt, signum in ani-  
 ma indelebile. Unde in eadem Persona non  
 reiterantur. De Baptismi dogmate disse-  
 rens, illius materiam & formam expo-  
 nit, nec illam Græcorum rejicit, sed va-  
 lidam agnoscit, docetque, in casu neces-  
 sitatis quemlibet baptizare posse, dummo-  
 do servet Ecclesiæ formam, & facere inten-  
 dat, quod facit Ecclesia; hujus autem sa-  
 cramenti effectum præcipuum esse, remis-  
 sionem omnis culpæ originalis & actualis,  
 omnisque pœnæ.

De

Sæcul. XV.  
A. C. 1439.

De Sacramento Confirmationis clarat, quod illius materia sit chrismum ex oleo & balsamo, forma vero in illis verbis consistat: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ordinarius minister sit Episcopus, cum de solis Apostolis in sacra Scriptura legeretur quod per manus impositionem Spiritus sanctum dederint. Nihilominus, quamvis hoc Sacramentum non nisi per solos Episcopos conferri debeat, nonnunquam tamen per Apostolicæ sedis dispensationem in casu necessitatis simplices Presbyteros chrismate per Episcopum confecto illud administrasse ait. Effectus autem hujus Sacramenti est, quod in eo datur Spiritus sanctus ad robur sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus hoc sacramentum recipiens audacter Christi nomen confiteatur. Ceterum loco impositionis manuum, de qua in hoc decreto mentio fit, hodie in Ecclesia habetur Confirmatio, ad cuius tamen valorem, impositionem quoque tanquam materiam huius Sacramento essentialem unacum chrismatis delibutione accedere debere, minime dubium est: inter Theologos tamen adhuc dum quæstio agitur, utrum unctio sit materia essentialis, & an non confirmationis Sacramentum fuerit olim collatum per solam manuum impositionem.

Est Historicum ago, & ea lege Theolo-  
giæ arcana penetrare prohibeor.

Sæcul. XV.

A. C. 1439.

*Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet, quia juxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum creditur, & quia utrumque, id est, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur, tum etiam quod magis convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad caput suum, qui est Christus JESUS. Quocirca hoc Decretum Armenis præcipit, ut in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino. Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quorum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen, ut totus Christus contineatur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta. Totius Christus hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur, digne sumentis est adunatio hominis ad Christum.*

*Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis; ideo nempe Decretum utitur particula quasi, quia ad cujuslibet Sacramenti essentiam haud necessaria est materia sensibilis, & permanens, sed illius loco sufficit*

cit

Sæcul. XV.  
A. C. 1429.

cit alia res, signo tamen exteriori manifestata. Tres autem enumerantur actus poenitentis, cordis contritio, quæ est dolor de peccatis commissis cum firmo proposito non peccandi de cetero; oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, Sacerdoti, vel suo Parocho integre confiteatur, denique satisfactio pro peccatis secundum iudicium Sacerdotis, quæ præcipue fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam. Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo &c. Minister vero est Episcopus & Sacerdos, quibus solis data est peccata remittendi potestas; hunc tamen Ministrum potestate absolvendi vel ordinaria, vel sibi à Superiore delegata præditum esse oportet. Tandem effectus huius Sacramenti est remissio & absolutio a peccatis.

Quintum Sacramentum est extrema unctio, cujus materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari debet; qui ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem, cujus tamen postremæ unctionis usus in pluribus Ecclesiis exolevit. Forma est ejusmodi: Per

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, tactum &c. commisisti, in Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos: effectus vero est mentis sanatio, & in quantum expedit, ipsius etiam corporis, quemadmodum inquit beatus Jacobus Apostolus in sua Epistola cap. 5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.

Sextum est Sacramentum Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino & patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum: Subdiaconatus per Calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.

Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus, & effectus illius augmentum gratiae, ut quis sit idoneus Minister. Attamen

Hist. Eccles. Tom. XXVII.

N n men

Saecul. XV.  
A.C. 1439.

Sæcul. XV.  
A. C. 1439.

men non multum a vero abluere videtur eorum opinio, qui tribus majoribus Ordinibus unicam essentialem materiam assignant, impositionem scilicet manuum ea ducti ratione, quod illa tam Orientali, quam Occidentali Ecclesiæ communis esset. Huic Occidentalis instrumentorum traditionem adjunxit, quorum tamen usus in Ecclesia Græca non obtinuit, proin nonnisi accidentaliter materiam censetur, sicut ceteræ sunt cærimonie in susceptione S. Ordinum adhiberi solitæ. Nulla tamen in præfato Decreto hujus impositionis mentio fit, unde illud Græcos recipere noluisse, argumento est, & hac de re Decretum unionis cum Græcis conclusæ nihil meminisse, jam supra diximus.

*Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem ad Ephes. 5. SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST, EGO AUTEM DICOCO, IN CHRISTO ET ECCLESIA. Causa efficiens illius est mutus consensus per verba de præfati expressus. Postea Decretum assignat triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter quod significat indivisibilem conjunctionem*



*nem Christi & Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

Hoc Decretum disertis saltem verbis nec materiam, nec hujus Sacramenti Ministrum designat. Nonnullorum tamen Theologorum sententia tenet, hujus Sacramenti materiam esse verba seu signa exprimentia consensum, quo contrahentes sibi mutuo sua corpora tradunt: Formam vero dicunt mutuam acceptationem, qua contrahentium quilibet alterius voluntatem, & consensum ratum habet, cum vero ipsimet contrahentes acceptent, atque materiam & formam sibi metipsis ministrent, hi quoque, horum Theologorum judicio, Sacramenti hujus Ministri sunt. Igitur juxta ipsos Parochus non nisi necessarius hujus Sacramenti testis, non vero Minister est. Quinimo ante Tridentinam Synodum nequidem necessarius testis erat; Matrimonia enim clandestina, seu contracta sine praesentia Parochi, quae praefatum Concilium nulla ac irrita declaravit, certe ante hujusmodi decisionem valida erant; Tenent tamen Theologorum nonnulli, quibus accensendus est Estius, longe probabilius esse, Parochum tanquam verum Sacramenti Matrimonii Ministrum eidem affi-

Sæcul. XV.

A. C. 1439.

stere, atque ideo pro hujus Sacramenti materia assignant mutuam traditionem corporum, quæ ad generationem proli a contrahentibus fit; formam vero esse dicunt verba Parochi has nuptias benedicentis, Ministrum autem Parochum hanc Benedictionem enuntiantem. Præterea in eodem hoc Decreto Armenis etiam Symbolum, quod S. Athanasio adscribitur, & ipsum decretum unionis cum Græcis in sacro Florentino Concilio promulgatum traditur. Postremo tandem certi ac fixi præscribuntur dies, in quibus eodem nobiscum ritu quasdam celebrarent festiuitates, has inter erant festa Annuntiationis B. Mariæ die vigesima quinta Martii, Natiuitatis S. Joannis Baptistæ vigesima quarta Junii, Natiuitatis vero Salvatoris nostri vigesima quinta Decembris, Circumcisionis ejusdem prima Januarii, Epiphaniæ sexta ejusdem mensis, Præsentationis Domini in templo seu Purificationis Dei Genitricis secunda Februarii. His omnibus ita explicatis, atque statutis Armenorum Oratores tam proprio, quam Patriarchæ sui, suorumque popularium nomine, *hoc saluberrimum Synodale Decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quidquid tenet & docet sacra*

*Haec Sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni devotione, & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt: quascunque vero Personas & dogmata Romana Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent. En totam hujus Decreti summam, quod tamen Auctorum nonnulli tanquam Synodi Florentini decretum non reverentur, sed nonnisi Eugenii Papæ decretum respiciunt, eoquod duntaxat inscriptionis verba attendant. Ex adverso, qui huic Synodo favent, illam quoque triennio post Græcorum discessum omnino legitimam, & Oecumenicam adhuc fuisse affirmant, maxime quia Eugenius cum Patribus Latinis adhuc dum de tollendo schismate, quod in Germania gliscebatur, consultare ac decernere perexit. Hæc sententia robur consequitur ex ipsis Tridentini Concilii actis, quæ in arce S. Angeli Romæ affervantur, ubi legitur, „quod die vigesima sexta Februarii Anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Episcopus Clodiensis in Congregatione Generali de Bulla unionis Jacobitarum, de qua infra ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum primum sermo redibit, dubium excitasset, quasi ea Concilio Florentino non emanasset; eo-*

Sæcul. XV.  
A. C. 1430.

N n 3

„quod

Sæcul. XV.  
A.C. 1419.

„quod illo Anno millesimo quadringentesimo  
„simo trigesimo nono, quo anno decretum  
„unionis Græcorum datum & confirmatum  
„fuit, absolutum esset; ad hanc autem  
„difficultatem Cardinalem de Monte Trid-  
„entinæ Synodi Præsidentem dixisse fertur  
*Hallucinari eos, qui putant finem Concilii  
Florentini fuisse unionem Græcorum, cum  
longe post per tres scilicet fere annos per-  
traverit usque ad annum Domini millesimo  
quadringentesimum quadragesimum secundum,  
quo anno celebrata Sessio ultima die vigesima  
sexta Maji Romam translatum fuit* (\*)

§. CV.

*Alberti Imperatoris obitus.*

*Act. Patricii  
to. 13. Conc.  
p. 1579.*

Albertus Imperator, cum hoc anno die  
vigesima septima Octobris Buda Vien-  
nam remearet in quadam Villa, quæ Lon-  
ga dicitur, extremum diem clausit. Nil  
antiquius habuit, quam sedare tempe-  
statum fluctus, quibus Ecclesiæ navis un-  
dique jactabatur. Verum pia ejus con-  
silia interceptit Amurates II. Turcarum  
Imperator, qui validissimo exercitu Hun-  
gariam invadere meditabatur. Hujus  
itaque molitionibus, ut sese opponeret,  
precibus potissimum Servix Despotis ani-  
matus est; Hic enim Cæsaris auxilium  
implorabat, ut Stephanum, & Georgium  
filios

(\*) Ita refert Horatius Justinianus part. 3.  
*Act. Conc. Florentini.*